



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Aqvileiense Tempore Damasi Papae I. Celebratvm, In quo a triginta duobus Italis, Gallis, & Pannonicis episcopis, praesentibus Gallorum & Afrorum legatis, Palladius & Secundianus episcopi ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

esse iubeas, confirmesque Concilii decretum: & sicuti literis, quibus nos conuocasti, ecclesiam honore profectus es; ita etiam summam eorum quæ decreta sunt, conclusionem sententia atque sigillo tuo corroborea. Dominus autem imperium tuum in pace & iustitia stabiliat, transmittatque & producat in multas & infinitas vsque ætates & generationes, atque ad terrenam potentiam celestis quoque regni gaudium & fructum adiiciat. Gratificetur Deus orbi terrarum, vt te qui re vera pietatis studiosissimus, Deique amantissimus imperator es, valentem, omnibusque præclaris rebus florentem & excellentem videat: id quod sancti etiam ab illo precibus ac votis petunt & orant.

• CONCILIVM<sup>b</sup> AQVILEIENSE  
• TEMPORE DAMASI PAPÆ I.  
CELEBRATVM,

*In quo<sup>d</sup> a triginta duobus Italis, Gallis, & Pannonicis episcopis, præsentibus Gallorum & Afrorum legatis<sup>1</sup>, Palladius & Secundianus episcopi Ariani, cum Attalo quodam presbytero, damnantur. Est prouinciale.*

EPISCOPI QUI HVIC CONCILIO  
INTERFVERVNT.

- |  |   |
|--|---|
| <sup>a</sup> VALERIANVS episcopus Aquileiensis.      | <sup>m</sup> Constantius episcopus Arausicus. |
| <sup>f</sup> Ambrosius episcopus Mediolanensis.      | Theodorus episcopus Octodrensis.              |
| <sup>g</sup> Eusebius episcopus Bononiensis.         | Domninus episcopus Gratianopolitanus.         |
| <sup>h</sup> Limenius episcopus Vercellensis.        | Amantius episcopus Niciensis.                 |
| <sup>i</sup> Armenius episcopus Sirmiensis Illyrici. | Maximus episcopus Emonensis.                  |
| <sup>k</sup> Sabinus episcopus Placentinus.          | Basilianus episcopus Laudensis.               |
| Abundantius episcopus Tridentinus.                   | Proculus episcopus Massiliensis.              |
| <sup>l</sup> Philaster episcopus Brixianus.          | Heliodorus episcopus Altinensis.              |
|  | Felix episcopus Iadrensis.                    |
|  | Euentius episcopus Citinensis.                |

<p>ANNO CHRISTI 381.</p> <p>Exuperantius episcopus Dertonensis.</p> <p>* Diogenes episcopus Genuensis.</p> <p>Constantius episcopus Sciscianensis legatus Gallorum.</p> <p>Iustus legatus Gallorum.</p> <p>Felix legatus Afrorum.</p>	<p>Numidius legatus Afrorum.</p> <p>Euagrius presbyter &amp; legatus.</p> <p>Artemius. Almachius. Ianuarius.</p> <p>Iouinus. Macedonius. Cassianus. Marcellus. Eustathius.</p> <p>Maximus. Chromatius presbyter.</p>
---	--

G E S T A  
\* CONCILII AQUILEIENSIS  
TEMPORE DAMASI PAPÆ I.

SYAGRIO & Eucherio viris clarissimis consulibus Nonis Septembribus Aquileiæ in ecclesia confidentibus, cum episcopis, Aquileiensem ciuitatis Valeriano, Ambrosio, Eusebio, Limenio, Amenio, Sabino, Abundantio, Artemio, Constantio, Iusto, Philastro, Constantio, Theodoro, Almachio, Domnino, Amantio, Maximo, Felice, Basiliano, Numidio, Ianuario, Proculo, Heliodoro, Iouino, Felice, Exuperantio, Diogene, Maximo, Macedonio, Cassiano, Marcello & Eustathio episcopis, Ambrosius episcopus dixit:

\* circa Diu \* citra acta tractauimus. Et quoniam tanta sacrilegia a parte Palladii & Secundiani nostris auribus ingeruntur, vt difficile quisque credat, tam aperte eos blasphemare potuisse, vel ne \* quia ipsi calliditate dicta sua postea negare conentur, licet de tantorum sacerdotum testificatione dubitari non queat, tamen quoniam omnibus episcopis placet, fiant acta, vt vnusquisque professionem suam negare non possit. Quid ergo vobis, sancti viri, placeat, declarandum est. Omnes episcopi dixerunt: Placet. Ambrosius episcopus dixit: discrepationes nostræ ex re firmadæ sunt scripto imperiali, vt allegentur. Sabinianus diaconus recitauit: Ambigua dogmatum reuerentia ne distideant sacerdotes, quamprimum experiri cupientes, conuenire in Aquileiensem ciuitatem ex diocesi, meritis excellentiæ tuæ creditam, episcopos iusseramus. Neque controuersia dubiæ sententiæ rectius poterant experiri, quam si obortæ altercationis \* in interpretes ipsos constituissimus antistites, vt videlicet a quibus proficiscuntur instituta doctrinæ, ab eisdem \* discordiæ eruditionis repugnantes.

Epistola  
imp. qua  
episcopos  
spontaneos  
ad Con-  
cilium con-  
uocarunt.

tia solueretur. Neque sane nunc aliter iubemus, ac iussimus, non inuertentes præcepti tenorem, sed superfluum conuenarum copiam recolentes. Nam quod Ambrosius & vitæ merito & Dei dignatione cõspicuum episcopus Mediolanensium ciuitatis, ibi multitudinem non opus esse suggerit, vbi veritas non laboraret in pluribus, si locata esset in paucis, seque eorum, qui contra adstarent, assertionibus, & sacerdotes vicinarum ex Italia ciuitatum, satis abundeque sufficere posse suggerit, abstinendum venerabilium virorum fatigatione censuimus, ne quis vel maturo æuo grauis, vel corporali debilitate confectus, vel laudabili paupertate mediocris, insuetas repetat terras, & rel. Ambrosius episcopus dixit: Ecce quod Christianis cõstituit imperator. Noluit iniuriam facere sacerdotibus: ipsos interpretes constituit episcopos. Ac per hoc, quoniam in sacerdotali Concilio confidemus, responde ad ea quæ tibi proponuntur. Arii epistola lecta est: etiam nunc recitabitur, si tibi videtur. A principio habet blasphemias, solum Patrem æternum dixit. Si tibi videtur, quod Dei filius sempiternus non sit, hoc ipsum (quemadmodum vis) adstrue: si damnandum putas, damna euangelium. Præsens est & Apostolus, omnes scripturæ præsto sunt, vnde vis, adstrue, si putas non esse Dei filium sempiternum. Palladius dixit. Vestro studio factum est, sicut dictat lectio sacra a vobis prolata, vt non esset generale & plenum Concilium. Absentibus sacerdotibus nostris, nos respondere non possumus. Ambrosius episcopus dixit: Qui sunt confortes vestri? Palladius dixit: Orientales episcopi. Ambrosius episcopus dixit: Interim quia superioribus temporibus Concilium sic factum est, vt orientales in orientis partibus constituti, haberent Concilium, occidentales in occidente: nos in occidentis partibus constituti, conuenimus ad Aquileiensem ciuitatem iuxta imperatoris præceptum. Denique etiam præfectus Italiæ literas dedit, vt si vellent conuenire, in potestate haberent. Sed quia scierunt consuetudinem huiusmodi, vt in oriente orientalium esset Concilium, intra occidentem occidentalium, ideo putauerunt non esse veniendum.

Palladius dixit: Imperator noster Gratianus iussit orientales venire, negas tu iussisse eum? Ipse imperator nobis

Arii epistola solum Patrem esse refert.

ANNO  
CHRISTI  
381.

dixit, se orientales iussisse venire. Ambrosius episcopus dixit: Vtique iussit, qui non prohibuit huc venire. Palladius dixit: Sed ne venirent, tua petitio fecit: sub specie falsa voluntatis hoc impetrasti, & distulisti Concilium. Ambrosius episcopus dixit: Non opus est euagari diutius, responde nunc. Bene dixit Arius solum æternum Patrem? & secundum scripturas hoc dixit, an non? Palladius dixit: Non tibi respondeo. Constantius episcopus dixit: Non respondes, qui tam diu blasphemasti? Eusebius episcopus dixit: Sed debes simpliciter fidei tuæ proderet libertatem. Si a te gentilis exigeret, quemadmodum in Christum crederes, confiteri erubescere non deberes. Sabinus episcopus dixit: Tu petisti, vt responderemus hodie ex voluntate tua, & urgente te conuenimus, & non expectauimus reliquos fratres, qui poterant venire. Proinde non tibi liberum est euagari. Christum dicis esse creatum? aut sempiternum dicis esse filium Dei? Palladius dixit: Dixi tibi, nos ideo diximus vobis, vt veniremus, & conueniremus, quod non recte fecissetis, \* subrepere imperatori. Ambrosius episcopus dixit: Legatur epistola Palladii, vtrum nobis hoc mandauerit: & docebitur, quod etiam nunc fallit. Palladius dixit: Legatur plane. Episcopi dixerunt: Imperator cum esset presens Sirmio, tu illum interpellasti, an ipse te compulit? Et addidit: Quid ad ista respondes? Palladius dixit: Dixit mihi, Vade. Diximus: Orientales conuenti sunt? Ait, Conuenti sunt. Numquid si orientales non fuissent conuenti, numquid nos conuenissemus? Ambrosius episcopus dixit: Sequestrata sit causa orientalium, sententiam tuam hodie \* quære, Arii tibi epistola lecta est. Soles te Arianum negare. Aut damna hodie Arium, aut defende. Palladius dixit: Non est hoc auctoritatis tuæ, vt hoc a me quæras. Eusebius episcopus dixit: Non credimus religiosum imperatorem aliud dixisse, quam scripsit. Episcopos iussit conuenire, non potuit tibi soli contra rescriptum suum dicere, vt sine orientalibus causam minime dicerent. Palladius dixit: Si Itali soli iussi sunt conuenire? Euagrius presbyter & legatus dixit, vt ante quatuor dies, & ante biduum responderet se adfuturum. Quid ergo expectabas (vt dicis) orientalium confortium tuorum sententiam expectandam? sic debuisti

\* subrepentes

\* quære,

Ante 4. dies & ante biduum respondisti ad futurum.

mandare, non promittere conflictum. Palladius dixit: <sup>ANNO</sup> Quia quasi ad Concilium plenum veneram, vidi non meos <sup>CHRISTI</sup> <sup>31.</sup> consortes conuenisse: vt conuenirem & dicerem, secundum iussionem egeritis in praedudicium futuri Concilii. Ambrosius episcopus dixit: Vt hodie resideremus, ipse exegisti. Denique, etiam hodie tu ipse dixisti, quia Christiani ad Christianos venimus. Christianos nos probasti. Promisisti te conflictaturum, promisisti te allaturum esse rationem. Libenter itaque accepimus praefationem tuam. Optauimus, vt quasi Christianus venires. Obtuli tibi epistolam Arii, quam scripsit Arius, de cuius nomine dicitis vos iniuriam frequenter sustinere. Dicitis quod Arium non sequamini. Hodie aperta debet esse sententia. Aut condemna illum, aut adstrue quibus vis lectionibus. Et addidit: Ergo, iuxta epistolam Arii, Christus Dei filius non est sempiternus? Palladius dixit: Nos diximus, probaturos nos Christianos, sed in Concilio pleno. Non vobis respondemus omnino in praedudicium Concilii futuri. Eusebius episcopus dixit: Sine calliditate, fidei tuae professionem debes exponere. Palladius dixit: Et quid Concilio reseruamus? Ambrosius episcopus dixit: Omni ori condemnatio facta est in eum, qui negaret Dei filium sempiternum. Negauit Arius, hunc sequitur Palladius, qui non vult condemnare Arium. Itaque vtrum huius probanda sententia sit, considerate: & vtrum secundum scripturas dicat, aut contra scripturas, intelligere liquet. Lectum est enim, sempiterna virtus Dei atque diuinitas, Dei virtus Christus est. Si igitur sempiterna Dei virtus est, sempiternus vtique Christus est, quia Christus est Dei virtus. Eusebius episcopus dixit: Haec fides nostra est, haec intelligentia catholica. Qui haec non dixerit, anathema. Omnes episcopi dixerunt, anathema. Eusebius episcopus dixit: Specialiter dicit solum Patrem sempiternum, & filium aliquando coepisse? Palladius dixit: Arium nec vidi, nec scio qui sit. Eusebius episcopus dixit: Arii blasphemia prolata, in qua negat Dei filium sempiternum. Hanc perfidiam damnas cum auctore, \* aut asseris? Palladius <sup>24</sup> dixit: Vbi auctoritas pleni Concilii non est, non dico. Ambrosius episcopus dixit: Dubitas damnare post diuina iudicia, cum crepuerit medius? & addidit: Dicant enim

Nota mi-  
ram hære-  
ti tergiuer-  
sationem.

ANNO  
 CHRISTI  
 381.

sancti viri legati Gallorum. Constantius episcopus legatus Gallorum dixit: Hanc impietatem eius hominis & semper damnauimus, & nunc damnamus, non solum Arium, sed & quicumque filium Dei non dixerit sempiternum. Ambrosius episcopus dixit: Quid etiam dicit dominus meus Iustus? Iustus episcopus legatus Gallorum dixit: Qui filium Dei coaeternum cum patre non confitetur, anathema habeatur. Omnes episcopi dixerunt, anathema. Ambrosius episcopus dixit: Dicant etiam Afrorum legati, qui omnium ciuium huc attulere sententias. Felix episcopus & legatus dixit: Si quis filium Dei negauerit & sempiternum, & coaeternum negauerit, non solus ego legatus totius Africanæ prouinciæ damno, sed & cunctus chorus sacerdotalis, qui ad hunc cœtum sanctissimum me misit, etiam ipse ante damnauit. Amenius episcopus dixit: Caput Illyrici, non nisi ciuitas est Sirmienfis. Ego igitur episcopus illius ciuitatis sum. Eum, qui non confitetur filium Dei aeternum & coaeternum patri, quod est sempiternum, anathema dico. \* Sed etiam is quidem non confitetur. \* Ambrosius episcopus dixit: Audite sequentia. Vt recitatum est, solum aeternum, solum sine initio, solum verum, solum immortalitatem habentem. Ambrosius episcopus dixit: Et in hoc damna eum, qui negat filium Deum verum. *Cum enim ipse sit veritas*, quem admodum non est Deus verus? Et addidit. Quid est hoc? Palladius dixit: Filium verum \* qui non dicat? Ambrosius episcopus dixit: Arius negauit. Palladius dixit: Cum Apostolus dicat, *Christum super omnia Deum*, potest aliquis negare verum filium Dei? Ambrosius episcopus dixit: Vt scias quã simpliciter veritas a nobis requiratur, ecce dico ego, vt dicis, sed semiplenum habeo. Cum enim ita dicis, videris negare Deum verum: si autem simpliciter confiteris verum Deum filium Dei, eo ordine adstrue, quo ipse propono. Palladius dixit: Ego secundum scripturas tibi loquor, verum filium Dei Dominum dico. Ambrosius episcopus dixit: Verum Dominum dicis filium Dei? Palladius dixit: Cum verum filium dicam, quid amplius? Ambrosius episcopus dixit: Non quero tantummodo, vt verum filium dicas, sed vt verum Dominum Dei filium dicas. Eusebius episcopus dixit: Christus Deus verus est, secundum om-

Sententia  
 Gallorum.

Sententia  
 Afrorum.

Ioan. 14.

Rom. 9.

\* quis

nium fidem & catholicam professionem. Palladius dixit: Verus Dei filius est. Eusebius episcopus dixit: Nam & nos per adoptionem filii sumus, ille secundum proprietatem generationis diuinæ. Et addidit: Confiteris ergo verum filium Dei, Dominum verum esse, secundum natiuitatem & proprietatem? Palladius dixit: Verum Dei filium vnigenitum dico. Eusebius episcopus dixit: Hoc ergo putas contra scripturas, si, Christus Deus verus est, dicatur? Cumque Palladius reticeret, Ambrosius episcopus dixit: Solum verum filium Dei qui dicit, & non vult dicere Dominum verum, videtur negare. Hoc igitur ordine confiteatur (si tamen confitetur) Palladius, & dicat, vtrum verum Dominum Dei filium dicat. Palladius dixit: *Ionn. 17.* Cum dicat filius, *Vt cognoscant te solum verum\* Dominum, & quem misisti Iesum Christum*, cum affectu, an veritate? *I. Ionn. 5.* Ambrosius episcopus dixit: Ioannes dixit in epistola sua, *Hic est verus Deus*. Nega hoc. Palladius dixit: Cum dicam tibi verum filium, profiteor veram etiam diuinitatem. Ambrosius episcopus dixit: Et in hoc est fraus. Sic enim solent dicere vnam & veram diuinitatem, vt patris tantummodo, non etiam filii, veram & vnam diuinitatem dicatis. Ergo si aperte vis dicere, quia ad scripturas me prouocas, dic, quod dixit euangelista Ioannes: *Hic est verus Deus*: aut nega dictum. *Ibidem.* Palladius dixit: Absque filio alius genitus non est. Eusebius episcopus dixit: Christus verus Deus secundum omnium fidem & catholicam professionem, an in sententia tua Deus verus non est? Palladius dixit: Virtus Dei nostri est. Ambrosius episcopus dixit: Non habes libertatem profitendi, ac per hoc anathema ei, qui non confitetur verum Deum filium Dei. Omnes episcopi dixerunt: Anathema habeatur, qui Christum filium Dei, Dominum verum non dixerit. Iterum addidit: Solum verum, solum immortalitatem habentem. Ambrosius episcopus dixit: Filius Dei habet immortalitatem, aut non habet, secundum diuinitatem? Palladius dixit: *1. Tim. 6.* Apostolum admittis, an non? *Rex regum, qui solus habet immortalitatem*. Ambrosius episcopus dixit: De Christo filio Dei quid dicis? Palladius dixit: Christus nomen diuinum est, an humanum? Eusebius episcopus dixit: Secundum carnis quidem sacramentum Christus dicitur, sed idem Deus

ANNO  
CHRISTI  
381.

Deus & homo est. Palladius dixit: Christus nomen carnis est, Christus nomen humanum est, & respondete vos mihi. Eusebius episcopus dixit: Quid superfluis immoraris? Cum legeretur impietas Arii, qui hoc dicit de Patre, quia solus habet immortalitatem, attulisti testimonium ad consensum impietatis Arii ex Apostolo, dicens: *Qui solus habet immortalitatem, & lucem inaccessibilem habitat.* Sed si intelligis, totius naturæ dignitatem in Dei nomine expressit: siquidem in Dei nomine pater & filius designantur. Palladius dixit: Et ego vos quod interrogavi, respondere nolulistis. Ambrosius episcopus dixit: Aperte de te sententiam quero: Filius Dei habet immortalitatem secundum generationem diuinam, an non habet? Palladius dixit: Secundum generationem diuinam incorruptibilis, & per carnem mortuus est. Ambrosius episcopus dixit: Non diuinitas mortua est, sed caro mortua est. Palladius dixit: Ante vos mihi respondete. Ambrosius episcopus dixit: Filius Dei secundum diuinitatem habet immortalitatem, an non habet? Sed etiam fraudes & insidias tuas, non secundum Arii professio- nem, prodidisti. Et addidit: Qui filium Dei negat habere immortalitatem, quid vobis videtur? Omnes episcopi dixerunt: Anathema habeatur. Palladius dixit: Status diuinus immortalis est. Ambrosius episcopus dixit: Astute & hoc, vt de Dei filio nihil exprimas euidenter. Et ego dico: Immortalitatem habet Dei filius secundum diuinitatem? Aut nega, quia non habet immortalitatem. Palladius dixit: Christus mortuus est, an non? Ambrosius episcopus dixit: Secundum carnem anima nostra non moritur. Scriptum est enim: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Cum igitur anima nostra mori non possit, putas quod Christus secundum diuinitatem mortuus sit. Palladius dixit: Mortis appellationem quare tu horres? Ambrosius episcopus dixit: Imo non horreo, sed confiteor secundum carnem meam. Est enim, per quam a mortis vinculis sum reuinctus. Palladius dixit: Mortem separatio facit spiritus. Nam Christus filius Dei carnem suscepit, & per carnem mortuus est. Ambrosius episcopus dixit: Scriptum est, *Christum passum.* Secundum carnem igitur pas-

1. Tim. 6.

Matth. 10.

1. Pet. 2.

Concil. Tom. 3.

D d d

fus est, secundum diuinitatem habet immortalitatem. Hoc qui negat, diabolus est. Palladius dixit: Ego Arium non noui. Ambrosius episcopus dixit: Ergo male dixit Arius, cum etiam filius Dei habeat immortalitatem secundum diuinitatem. Et addidit: Bene dixit, an male? Palladius dixit: Non consentio. Ambrosius episcopus dixit: Cui non consentis? Anathema illi, qui non explicat fidei libertatem. Omnes episcopi dixerunt: Anathema. Palladius dixit: Dicite quod vultis, eius est diuinitas immortalis. Ambrosius episcopus dixit: Cuius? Patris, an & filii? Et addidit: Multas impietates confestim Arius, ad alias transeamus. Et recitatum est, solum sapientem. Palladius dixit: Pater a se sapit, filius autem sapiens non est. Ambrosius episcopus dixit: Ergo filius non est sapiens, cum ipse sit sapientia? Nam & nos dicimus quia ex patre natus est filius. Eusebius episcopus dixit: Est aliquid tam impium, tam profanum, quam quod dixit, sapientem filium Dei \* negare? Palladius dixit: Sapientia dicitur. Quis potest sapientiam denegare? Ambrosius episcopus dixit: Sapiens est, an non? Palladius dixit: Sapientia est. Ambrosius episcopus dixit: Sapiens ergo, cum sit sapientia. Palladius dixit: Secundum scripturas vobis respondemus. Ambrosius episcopus dixit: Etiam sapientem (quantum video) filium Dei Palladius negare conatus est. Eusebius episcopus dixit: Qui negat filium Dei sapientem, anathema sit. Omnes episcopi dixerunt: Anathema. Eusebius episcopus dixit: Etiam Secundianus ad hoc respondeat. Cumque Secundianus reticeret, Ambrosius episcopus dixit: Qui tacet, integrum vult habere iudicium. Et addidit: Solum patrem bonum cum dicit, filium confessus est, an negauit? Palladius dixit: Legimus, *Ego sum pastor bonus*; & nos negamus? Quis non dicat bonum Dei filium? Ambrosius episcopus dixit: Ergo bonus est Christus. Palladius dixit: bonus. Ambrosius episcopus dixit: Male ergo Arius de solo patre dixit, cum etiam filius Dei, Deus \* omnibus sit. Palladius dixit: Qui bonum non dicit Christum, maledicit. Eusebius episcopus dixit: Christum bonum confiteris? Nam & ego bonus sum. *Mihi dixit: Euge serue bone. Et, homo bonus profert de thesau-*

Iuan. 18.

Matth. 25.

Luc. 6.

ANNO  
CHRISTI  
381.\* seruo  
natus

ANNO CHRISTI 381.  
*ro suo bona.* Palladius dixit: Iam dixi, nunc vobis non respondeo vsque ad plenum Concilium. Ambrosius episcopus dixit: Iudæi dicebant, *Bonus est.* & Arius negat quia filius Dei bonus est. Palladius dixit: Quis potest hoc negare? Eusebius episcopus dixit: Bonus est ergo Deus filius Dei. Palladius dixit: Bonus pater, bonum filium genuit. Ambrosius episcopus dixit: Et nos bonos genuit, sed non secundum diuinitatem. Deum bonum Dei filium dicis? Palladius dixit: Filius Dei bonus est. Ambrosius episcopus dixit: Vides ergo quia Christum bonum, bonum filium, non bonum Deum dicis, quod a te quaritur. Et addidit: Qui bonum Deum, filium Dei Deum non confitetur, anathema. Omnes episcopi dixerunt: Anathema. Item recitauit, Solum potentem. Ambrosius episcopus dixit: Potens est filius Dei, an non? Palladius dixit: Qui omnia fecit, non est potens? qui omnia fecit, minus potest? Ambrosius episcopus dixit: Ergo Arius male dixit: Et addidit: Vel in hoc damnas Arium? Palladius dixit: Vnde scio qui scit? Ego pro me respondeo tibi. Ambrosius episcopus dixit: Filius Domini mei potens est? Palladius dixit: Potens. Ambrosius episcopus dixit: Deus bonus est? Palladius dixit: Iam dixi filium Dei vnigenitum esse potentem. Ambrosius episcopus dixit: Dominum potentem? Palladius dixit: Filium Dei potentem. Ambrosius episcopus dixit: Potentes & homines sunt. Scriptum est: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Psal. 51. Et alibi, *Cum infirmor, tunc potens sum.* Illud a te requiro, 2. Cor. 12. vt confitearis Dominum potentem esse Dei filium Christum: aut si negas, adstrue. Nam qui vnam potentiam dico Patris & Filii, sic Filium Dei dico potentem sicut & patrem. Dubitas ergo confiteri potentem esse Dominum Dei filium? Palladius dixit: Iam dixi, secundum disputationem (prout possumus) respondemus vobis. Vos enim soli vultis esse iudices. Vos litigatores esse vultis. Non vobis respondemus nunc, sed in Concilio generali & pleno respondebimus vobis. Ambrosius episcopus dixit: Anathema illi, qui negat Dominum potentem Christum. Omnes episcopi dixerunt: Anathema. Item recitatum est, Solum potentem, omnium iudicem. Palladius dixit: Omnium iudicem filium Dei. Est qui dat, est qui accipit.

Concil. Tom. 3.

Ddd ij

Ambrosius episcopus dixit: Per gratiam dedit, an per naturam? Et hominibus datur iudicium. Palladius dixit: Patrem maiorem dicis, an non? Ambrosius episcopus dixit: Postea respondebo tibi. Palladius dixit: Ego tibi non respondebo, si non respondes mihi. Eusebius episcopus dixit: Nisi impietatem Arii ex ordine damnaueris, interrogandi tibi non dabimus facultatem. Palladius dixit: Non tibi respondeo. Ambrosius episcopus dixit: Filius Dei (sicut lectum est) iudex est, an non? Palladius dixit: Si non respondes mihi, ego tibi vt impio non respondeo. Ambrosius episcopus dixit: Habes professionem meam, qua respondebo tibi. Interim perlegatur epistola Arii. Et addidit: In epistola Arii inuenies & hoc sacrilegium, quod tu moliris. Palladius dixit: Ego \* qui interrogo, non respondetis. Eusebius episcopus dixit: Filium Dei \* Deum æqualem dicimus. Palladius dixit: Tu iudex es, tui exceptores hic sunt. Ambrosius episcopus dixit: Scribant tui, qui \* nolunt. Palladius dixit: *Pater maior est*, an non? Eusebius episcopus dixit: Secundum diuinitatem æqualis est filius patri. Habes in euangelio, quod Iudæi persequebantur eum, quia non solum soluebat sabbatum, sed & patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Quod ergo impii persequentes confessi sunt, nos credentes negare non possumus. Ambrosius episcopus dixit: Et alibi habes: *Qui cum esset in forma Dei, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, obediens usque ad mortem.* Et addidit: Vides, quia in forma Dei æqualis est? Et formã, inquit, serui accepit. In quo ergo minor est? Secundum formam vtique serui, non Dei. Eusebius episcopus dixit: Sicut in forma serui constitutus, inferior seruo non fuit; ita in forma Dei constitutus, inferior Deo esse non potuit. Ambrosius episcopus dixit: Aut dic, quia secundum diuinitatem minor est filius Dei. Palladius dixit: *Pater maior me est.* Ambrosius episcopus dixit: Secundum carnem. Palladius dixit: *Qui me misit, maior est me.* Caro missa est a Deo, aut filius Dei? Ambrosius episcopus dixit: Falsari a vobis diuinas scripturas hodie comprobamus. Sic enim scriptum est: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Non turbetur cor vestrum. Non quomodo hic mundus*

Iuan. 5.

Philip. 2.

Iuan. 14.

ANNO CHRISTI 381. *dat, & ego do vobis. Si diligeretis me, gauderetis, \* quia dixi, vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Non dixit: Qui me misit, maior me est. Palladius dixit: Pater maior est. Ambrosius episcopus dixit: Anathema illi, qui diuinis scripturis addit aliquid, aut minuit. Omnes episcopi dixerunt: Anathema. Palladius dixit: Pater maior est filio. Ambrosius episcopus dixit: secundum carnem filius minor est Patre, secundum diuinitatem æqualis est Patri. Legi igitur æqualem Dei filium Patri, sicut iam & prolata exemplaria testantur. Secundum carnem autem quid miraris minorem, cum dixerit se seruum, cum dixerit se lapidem, cum dixerit se vermem, cum dixerit se minorem angelis, quia scriptum est: *Minorasti eum paulo minus ab angelis?* Palladius dixit: Impie vos asserentes video, non respondemus vobis sine auditoribus. Sabinus episcopus dixit: Nemo requirat ab eo sententiam, qui tam innumeris sententiis blasphemauit. Palladius dixit: Non vobis respondemus. Sabinus episcopus dixit: Ab omnibus iam damnatus est Palladius. Arii blasphemix multo minores sunt quam Palladii. Et cum Palladius surrexisset, atque foras exire voluisset: Ideo, inquit, surrexit Palladius, quoniam apertis scripturarum testimoniis conuincendum esse se cernit, sicut iam conuictus est. Sic enim lectum est, secundum diuinitatem quod æqualis Patri filius sit. Accipiat autem, quod secundum diuinitatem maiorem non habet. Scriptum est: *Abrahæ cum repromississet Deus, quoniam nullum alium habebat maiorem, per quem iuraret, iurauit per semetipsum.* Vides igitur scripturam, quia nullum alium maiorem habet, per quem iuraret. Filius autem est, de quo dicitur, *quoniam ipse visus est. Abrahæ.* Vnde & ait: *Abraham diem meum vidit, & gauisus est.* Palladius dixit: Pater maior est: Eusebius episcopus dixit: Quando vt Deus locutus, maiorem non habuit: quando vt homo locutus, maiorem habuit. Palladius dixit: Pater genuit Filium, Pater misit Filium. Ambrosius episcopus dixit: Anathema illi, qui negat filium secundum diuinitatem æqualem Patri. Omnes episcopi dixerunt: Anathema. Palladius dixit: Filius subiectus patri, filius præcepta patris custodit. Ambrosius episcopus dixit: Subiectus secundum carnis rationem: ceterum & ipse meministi, quia legisti: *Nemo venit ad me, nisi*

*Ista. 49.  
6. 28.  
Matt. 21.  
Leui. 20.  
Dan. 2.  
Ps. 117. 21.  
Psal. 8.  
Heb. 2.*

*Heb. 5.*

*Ioan. 8.*

*Ioan. 6.*

quem pater attraxerit. Sabinus episcopus dixit: Dicat, si secundum diuinitatem subiectus est patri, an secundum incarnationem. Palladius dixit: Ergo Pater maior est. Ambrosius episcopus dixit: Et alibi scriptum est, *Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem filii eius*. Ego dico patrem maiorem esse secundum carnis assumptionem, quam suscepit filius Dei, non secundum diuinitatem. Palladius dixit: quæ enim cõparatio est filii Dei? Et caro potest dicere, Deus me maior est. Caro loquebatur, aut diuinitas, quia ibi erat caro? Ambrosius episcopus dixit: Caro sine anima non loquitur. Eusebius episcopus dixit: Deus in carne loquebatur secundum carnem, quando dicebat: *Quid me persequimini hominem?* Quis hoc dixit? Palladius dixit: Filius Dei. Ambrosius episcopus dixit: Deus ergo filius Dei est secundum diuinitatem, & homo est secundum carnem. Palladius dixit: Carnem suscepit. Eusebius episcopus dixit: Ergo humanis verbis usus est. Palladius dixit: Carnem humanam suscepit. Ambrosius episcopus dixit: Dicat quia non secundum diuinitatem Apostolus dixit subiectum, sed secundum carnem. Scriptum est enim, *Humiliauit semetipsum, factus obediens usque ad mortem*. In quo ergo mortem gustauit? Palladius dixit: Quia se humiliauit. Ambrosius episcopus dixit: Non diuinitas, sed caro humiliata est atque subiecta. Et addidit: Creaturam perfectam bene dixit Arius, an male dixit? Palladius dixit: Ego tibi non respondeo, auctoritatem non habenti. Ambrosius episcopus dixit: Profitere quod vis. Palladius dixit: non respondeo vobis. Sabinus episcopus dixit: Pro Ario non respondes? ad interrogata non respondes? Palladius dixit: Pro Ario ego non respondi. Sabinus episcopus dixit: Usque adeo respondisti, vt filium Dei negares potentem, negares verum Deum. Palladius dixit: Ego te iudicem non patior, quem impietatis arguo. Sabinus episcopus dixit: Ipse nos coegisti federe. Palladius dixit: Mandauit vt federetis, vt arguerem vos. Quare subripuistis imperatori? vt plenum Concilium non esset, obripuistis. Ambrosius episcopus dixit: Cum Arii impietates legerentur, & impietas tua pariter condænata est, quæ consensit Arianae impietati. Placuit tibi in media epistola lectionem proponere, quam volebas. Responsum tibi est, quemadmodum patrem maiorem

Iou. 8.

Philip. 2.

Arius  
C. 1.

ANNO  
CHRISTE  
391.

dixerit filius Dei, eo quod secundum carnis susceptionem, filius maiorem patrem dixerit. Proposuisti etiam subiectum esse filium Dei: & in hoc responsum tibi est, quia subiectus filius Dei secundum carnem est, non secundum diuinitatem. Habes professionem nostram, nunc audi cetera. Quoniam tibi responsum est, responde ad ea, quæ leguntur. Palladius dixit: Non tibi respondeo, quia quæcumque ego dixi, non sunt scripta. Vestra tantummodo scribuntur verba, non vobis respondeo. Ambrosius episcopus dixit: Omnia vides scribi. Denique quæ scripta sunt, abundant ad tuæ impietatis iudicium. Et addidit: Creaturam dicis Christum, an negas? Palladius dixit: Non respondeo. Ambrosius episcopus dixit: Ante horam citra actam, cum legeretur, quia Arius dixit creaturam Christum, negasti. Oblatum est tibi, vt damnares perfidiam. noluisti. Vel nunc dic, vtrum natus ex patre Christus sit, an creatus. Palladius dixit: si vultis: exceptores nostri veniant: & sic totum excipiat. Sabinus episcopus dixit: Adducat suos exceptores. Palladius dixit: Pleno Concilio vobis respondebimus. Ambrosius episcopus dixit: Attalus in tractatu Nicæni Concilii subscripsit. neget factum, quia venit ad Concilium. Dicat hodie, vtrum subscripserit in tractatu Nicæni Concilii, an non. Cumque Attalus reticeret, Ambrosius episcopus dixit: Attalus presbyter licet inter Arianos sit, tamen habet auctoritatem loquendi. Libere profiteatur, vtrum subscripserit in tractatu Nicæni Concilii sub episcopo suo Agrippino, an non. Attalus dixit: Iam dixisti me aliquoties damnatum, non tibi respondeo. Ambrosius episcopus dixit: Subscripsisti in tractatu Concilii Nicæni, an non? Attalus dixit: non tibi respondeo. Palladius dixit: Modo vultis tractatum plenum haberi, an non? Chromatius presbyter dixit: Creaturam non negasti, potentiam negasti. Omnia negasti, quæ fides catholica profitetur. Sabinus episcopus dixit: Testes sumus nos, Attalum subscripsisse in Concilio Nicæno, & nunc nolle respondere. Quid cunctis videtur? Cumque Attalus reticeret, Ambrosius episcopus dixit: Dicat vtrum subscripserit in tractatu Concilii Nicæni, an non? Palladius dixit: Exceptor vester & noster stent, & omnia scribant. Valerianus episcopus dixit: Iam quæ dixisti &

negasti, scripta sunt omnia. Palladius dixit: Dicite quod vultis. Ambrosius episcopus dixit: Quia sapius vult damnari Palladius, qui iam frequenter damnatus est, lego epistolam Arii, quam ille noluit condemnare. Profitemini, quid vobis videtur? Omnes episcopi dixerunt: Legatur. Et recitata est. Nato autem non putatiue; & reliqua. Ambrosius episcopus dixit: Respondi tibi de maiore, respondi tibi & de subiecto: nunc & ipse responde. Palladius dixit: Non respondebo, nisi auctores veniant post dominicam diem. Ambrosius episcopus dixit: Veneras tractaturus, sed postea quam obieci tibi, vidisti epistolam Arii, quam damnare noluisti. asserere autem non potes, idcirco nunc refugis & cauillaris; plenarie ipsam recito. Ad singula dic, vtrum Christus creatus videatur, an fuit quando non fuit Christus, an vero semper fuit unigenitus Dei filius. Cum Arii epistolam audieris, aut damna, aut proba. Palladius dixit: Cum impietatis te arguam, te iudice non vtor. Transgressor es. Sabinus episcopus dixit: Quas impietates obiicis fratri nostro & confacerdoti Ambrosio? dicit. Palladius dixit: Iam vobis dixi: Pleno Concilio respondebo, & presentibus auctoribus. Ambrosius episcopus dixit: In confessu fratrum cupio confutari & redargui. Quæ igitur impie dixerim, dicit, si impius tibi videor, qui pietatem adstruo. Sabinus episcopus dixit: Ergo impius tibi videtur, qui Arii blasphemias arguit? Palladius dixit: Ego non negavi bonum filium Dei. Ambrosius episcopus dixit: Dicis ergo Christum Deum bonum? Palladius dixit: Non vobis respondeo. Valerianus episcopus dixit: Nolite multum adigere Palladium, non potest vera nostra simpliciter confiteri. Ipsi enim conscientia duplici blasphemia confusa est. Nam a Photinianis est ordinatus, & cum ipsis est damnatus, & nunc plenius damnabitur. Palladius dixit: Hoc proba. Sabinus episcopus dixit: Non aliter poterat Christum verum negare, nisi auctores suos sequeretur. Ambrosius episcopus dixit: Obiecisti me esse impium, hoc proba. Palladius dixit: Expositio-nem afferimus. Cum attulerimus, tunc dispositio habebitur. Ambrosius episcopus dixit: Damna impietatem Arii. Cum reticeret Palladius, Eusebius episcopus dixit: Superfluis immoramur. Tot impietates Arii Palladius noluit

ANNO  
CHRISTE  
381.

noluit condemnare, imo potius asserendo confessus est. Hunc qui non damnat, similis illius est, & hæreticus iure dicendus est. Omnes episcopi dixerunt: A nobis omnibus anathema sit Palladius. Ambrosius episcopus dixit: Acquiescis vt cetera legantur, Palladi? Palladius dixit: Date auditores, veniant & ex vtraque parte exceptores. Non potestis esse iudices, si auditores non habuerimus: & nisi ex vtraque parte venerint qui audiant, non vobis respondemus. Ambrosius episcopus dixit: Quos quaris auditores? Palladius dixit: Sunt hic honorati multi. Sabinus episcopus dixit: Post tot blasphemias auditores petis? Ambrosius episcopus dixit: Sacerdotes de laicis iudicare debent, non laici de sacerdotibus: sed tamen quos iudices petas, dicito. Palladius dixit: Auditores veniant. Chromatius presbyter dixit: Salua condemnatione sacerdotali, quin & qui Palladii sunt, etiam in pleno legantur. Palladius dixit: Non permittantur loqui: auditores veniant, & ex vtraque parte exceptores; & respondebunt vobis hi in Concilio generali. Ambrosius episcopus dixit: Et si in multis impietatibus deprehensus sit, erubescimus tamen, vt videatur, qui sacerdotium sibi vendicat, a laicis esse damnatus. Ac per hoc, quoniam & in hoc ipso damnandus est, qui laicorum expectat sententiam, cum magis de laicis sacerdotes debeant iudicare, iuxta ea quæ hodie audiuius Palladium profitentem, & iuxta ea quæ condemnare noluit, pronuntio illum sacerdotio indignum & carendum; & in loco eius catholicus ordinetur. Omnes episcopi dixerunt: Anathema Palladio. Ambrosius episcopus dixit: Imperator clementissimus & Christianus sacerdotum iudicio causam, & vt ipsi arbitri essent altercationis, \* ipsi (inquit) constituissemus: quoniam igitur nobis iudicium videtur delatum, interpretes esse scripturarum, condemnemus Palladium, qui impii Arii noluit damnare sententiam. Et quia filium Dei sempiternum, & cetera quæ in actis haberent, negavit, ergo anathema habeatur. Omnes episcopi dixerunt: Omnes condemnamus eum. Anathema habeatur. Ambrosius episcopus dixit: Quoniam omnes consistunt viri Christiani & Deo probati fratres & sacerdotes nostri, dicat vnusquisque quid sibi videatur. Valerianus episcopus dixit:

Condemnatio Palladii hæretici a Concilio.

\* for. cō-  
misse:  
quonia

Concil. Tom. 3.

Ecc

Mihi quidem videtur, quia qui Arium defendit, Arius est: qui blasphemias ipsius non condemnat, ipse blasphemus est. Ideoque huiusmodi hominem a consortio sacerdotum cenſeo eſſe alienum. Palladius dixit: Cœpiſtis ludere? ludite, ſine Concilio orientali vobis non reſponſemus. Amenus episcopus Sirmienſis dixit: Quicumque hæreſes Arias non condemnat, Arius ſit neceſſe eſt. Hunc igitur alienum etiam a noſtra communione, & ſacerdotali cœtu priuatum eſſe cenſemus. Conſtantius episcopus Arauſicus dixit: Palladium Arii diſcipulum, cuius impietates iam olim damnatæ ſunt a patribus noſtris in Concilio Nicæno, & nunc hodie probatæ, cum recenſerentur a Palladio ſingulæ, quia non confuſus eſt, dum Dei filium a Deo patre eſſe alienum, cum creaturam confitetur, cum <sup>tem-</sup> tempore dicit, Dominum verum negat, in ſempiternum cenſeo eſſe damnandum. Iuſtus episcopus dixit: Palladium, qui blasphemias Arii damnare noluit, ſed etiam magis has confiteri videtur, cenſeo vlterius ſacerdotem dici non poſſe, nec inter episcopos deputari. Euentius episcopus <sup>Ci.</sup> <sup>Tal.</sup> Cirtinienſis dixit: Palladium, qui impietatem Arii damnare noluit, arbitror a conſortio ſacerdotali in perpetuum eſſe remotum. Abundantius episcopus Tridentinus dixit: Cum euidentes blasphemias Palladius defendat, damnatum ſe ex Concilio Aquileienſi cognoſcat. Eufebius episcopus Bononiienſis dixit: quia impietates Arii diabolico ſtylo conſcriptas, quas non licebat nec ad aures admittere, Palladius non ſolum noluit condemnare, ſed & earum extitit aſſertor, negando filium Dei filium verum, Dominum bonum, Dominum ſapientem, Dominum ſempiternum, hunc a cœtu ſacerdotali, & mea ſententia & omnium catholicorum iudicio arbitror iure eſſe damnatum. Sabinus episcopus Placentinus dixit: Quoniam cunctis patefactum eſt, Palladium, qui Ariana perſidia auctor eſt, etiam eius impietatem tenere, quiaque contra euangelica & apoſtolica inſtituta venit, iuſta in eum totius Concilii illata ſententia eſt, & mea licet paruitatis ſententia, ſacerdotio denuo priuatus, ex hoc ſacroſancto cœtu iure pellatur. Felix & Numidius legati Afrorum, dixerunt: Ariana hæreſis ſectæ, in qua Palladius in Aquileienſi Synodo declaratus eſt, anathema. Sed & eos qui contra verita-

ANNO  
CHRISTI  
381.

tem Nicænæ Synodi repugnantes sunt, condemnamus. Limenius episcopus Vercellensis dixit: Arianam doctrinam sæpe esse damnatam, manifestum est: & ideo Palladius conuentus in hac sacra Synodo Aquileiensi, quia noluit se corrigere vel emendare, sed magis probauit reprehensibilē, & se oletauit perfidia, quam publice confessus est tenere; hunc sententia mea & ego profiteor consortio sacerdotali esse priuandum. Maximus episcopus Emonensis dixit: Palladium, qui blasphemias Arii nec damnare voluit, sed magis confessus est, iuste ac merito esse damnatum, & Deus nouit, & fidelium conscientia condemnauit. Exuperantius episcopus Dertonensis dixit: Palladium, qui sectam Arii vel eius doctrinam damnare noluit, sed defendit, vt ceteri confortes mei damnauerunt, etiam & ego condemno. \* Basilianus episcopus Laudensis dixit: Audiui, sicut & ceteri confortes mei, impietates Arii, quas Palladius non solum non condemnauit, sed confirmauit. Hic anathema sit, & sacerdotio priuabitur. Philaster episcopus Brixianus dixit: Blasphemias & iniquitatem Palladii, qui Arianam doctrinam sequitur & defendit, vna cum omnibus ego condemnaui. Constantius episcopus Sciscinensis dixit: Palladium, qui blasphemias & impietates Arii non condemnauit, sicut & ceteri confacerdotes mei, & ego cenfeo damnandum. Heliodorus episcopus Altinensis dixit: Qui perfidiam Arii omniumque hæreticorum, quorum confors est Palladius, huius inspiens cor, qui veritatem non est confessus, cum ceteris confacerdotibus meis condemno. Felix episcopus \* Iadertinus dixit: Palladium, qui blasphemias dicit in filium, sicut Arius, cum omnibus pariter condemno. Theodorus episcopus Octodorum, dixit: Palladium, qui Christum Deum verum, coæternum patri negauit, nec Christianum hunc, nec sacerdotem vllō modo censemus. Domninus episcopus Gratianopolitanus dixit: Palladium in perfidia Arii permanentem, in perpetuum, sicut & fratres dānauerunt, etiam & ego cenfeo esse damnandum. Proculus episcopus Massiliensium dixit: Palladium, qui Arii blasphemias sub quadam impia hereditate non condemnando defendit, sicut hunc & plurimorum iam venerabilium sacerdotum sententia blasphemum designauit, atque a sacerdotio alienum duxit, ita mea pariter

Concil. Tom. 3.

Ecc ij

sententia in perpetuum condemnatum designat. \* Digenus episcopus Genuensis dixit: Palladium, qui Christum Dominum Deum verum, similem & æqualem patrem non confitetur, imo negavit, damnationem iudicium cum ceteris fratribus meis vel confacerdotibus fortiri. Amantius episcopus Nicensis dixit: Palladium, qui sectam Arii non destruxit, secundum confacerdotum meorum iudicium, etiam & ego condemno. Ianuarius episcopus dixit: Sicut omnes confacerdotes mei damnauerunt Palladium, ita & ego pari iudicio eum censeo esse damnandum. Et cum Secundianus subripuisset, Ambrosius episcopus dixit: Audisti, Secundiane, cuiusmodi Palladius impius sententiam, sacerdotali Concilio damnatus, exceperit. Licet displicuerit nobis, quod eius, hoc est, Palladii, non horrueris amentiam, tamen de te aliqua specialiter quero. Vtrum Dei filium Dominum nostrum Iesum Christum, vel non, verum Deum dicas. Secundianus dixit: Qui negat Dominum verum esse patrem Domini & Dei nostri Iesu Christi, non est Christianus, nec qui negat Dominum filium verum. Ambrosius episcopus dixit: Deum verum Dei filium confiteris? Secundianus dixit: Verum Dei filium, vnigenitum Dei filium verum dico. Ambrosius episcopus dixit: Verum Dominum dicis? Secundianus dixit: Verum vnigenitum filium, quis negat verum filium Dei? Eusebius episcopus dixit: Non sufficit, quod filium Dei vnigenitum confiteris: nam hoc omnes confitentur: sed hoc mouet, quod Arius dixit Dominum solum patrem, solum verum, negavit filium Dei Dominum verum. Simpliciter filium Dei Deum verum confiteris? Secundianus dixit: Qui fuerit Arius, ignoro: quod dixerit, nescio: mecum loqueris viuus ad viuum. Illud dico quod Christus dixit: Vnigenitum filium se asserit patris, filius vnigenitus est Dei filius verus. Ambrosius episcopus dixit: Deus verus est, verus Dei filius Deus. Et addidit: In diuinis scriptum est, *quia qui iurant super terram, iurabunt \* Deum verum.* Quod vtique de Christo esse, non dubium est. Nos ergo verum Deum profiteamur, & fides nostra hæc est, & confessio, quia vnigenitus patris filius, est verus Deus. Dic & tu de Deo vero, deinde filiū Deum verū. Secundianus dixit: De Deo vero.

ANNO  
 CHRISTI  
 381.

Ambrosius episcopus dixit: Filius Dei Deus verus est? Secundianus dixit: Ergo mendax. Ambrosius episcopus dixit: In hoc fraudem facis, vt non Deum verum dicas, sed Deum vnigenitum: ac per hoc dic simpliciter, vnigenitus Dei filius, Deus verus. Secundianus dixit: Vnigenitum dixi Dei filium. Eusebius episcopus dixit: Hoc Photinus non negat, hoc Sabellius confitetur. Ambrosius episcopus dixit: Et qui hoc non confitetur, iure damnatur. Ac per hoc sape te conuenio, licet cauillando negaueris veritatem. Non quæro, vt tantummodo vnigenitum filium dicas Dei, sed etiam Deum verum. Secundianus dixit: Veritatis me seruum profiteor. Quæ dico, non scribuntur; & quæ dicis, scribuntur. Christum verum Dei filium dico. Quis negat filium Dei verum esse? Ambrosius episcopus dixit: Qui negat vnigenitum Dei filium, anathema sit. Secundianus dixit: Deum verum vnigenitum filium Dei, quid mihi profiteris, quod non est scriptum? Ambrosius episcopus dixit: Apertum sacrilegium est, quando Christum Dei filium Arius Deum verum negauit. Secundianus dixit: Iesum Christum filium Dei Deum, quia Christus dicatur filius verus, filium Dei dico. Ambrosius episcopus dixit: Nondum resipuisti. Et adiecit: Ne quid illi videatur subreptum, confirmet sententiam suam. Dicat ergo vnigenitum Christum, Dei filium Deum verum. Secundianus dixit: Iam dixi. Quid mihi extorquere vis amplius? Ambrosius episcopus dixit: Quid dixisti? Certe si dixisses tanta, quod gloriose dicitur, sape repetendum est. Secundianus dixit: Dictum est: *Sit Math. 5. sermo vester, est, est, non, non.* Ambrosius episcopus dixit: Qui dicit ipsum patrem filium, sacrilegus est. Hoc a te quæro, vt dicas, de Deo vero Deum verum Dei filium natum. Secundianus dixit: Ego filium a Deo genitum, dicente ipso, *Geni te*, confitentem se, genitum esse dico. Ambrosius episcopus dixit: A Deo vero Deus verus est. Secundianus dixit: Et cum nomini etiam addis & verum, audis, qualis in te fides sit, & Christianus es? Eusebius episcopus dixit: Qui negauit illum verum Deum? Arius & Palladius negauit. Tu si Deum verum credis, debes simpliciter designare. Ambrosius episcopus dixit: Si non dixeris Deum verum de Deo vero natum esse,

*Psal. 109.  
 Hebr. 1.*

*Concil. To. 3.*

Ecc iij

Christum negasti. Secundianus dixit: Interrogatus de filio, dedi responsum: quemadmodum deberem profiteri, respondi. Habemus vestram expositionem, afferemus, legatur. Ambrosius dixit: Hodie afferre debueras, ceterum subterfugere conaris. Professionem a me \*exige, & professionem a te exigo. Deus verus est Dei filius? Secundianus dixit: Vnigenitus est Deus Dei filius. Et ego eum interrogo, vnigenitus est? Ambrosius episcopus dixit: Ratio permoueat nos, & impietas, & insipientia tua. Cum dicis Deum verum vnigenitum, non Deum verum dicis, sed verum vnigenitum: ac per hoc, vt istam \*adunas quaestionem, ita responde. Ex Deo vero Deus verus est? Secundianus dixit: Ergo Deus Deum non genuit? Deus verus ille qui est, quod est genuit, vnum verum vnigenitum filium genuit. Ambrosius dixit: Non confiteris Deum verum, sed vis dicere verum vnigenitum. Et ego vnigenitum, sed dico & Deum verum. Secundianus dixit: Ego dico genitum a patre, verum genitum dico omnibus.

EPISTOLA  
CONCILII AQVILEIENSIS  
AD EPISCOPOS GALLIÆ.

*Concilium, quod conuenit Aquileiæ, dilectissimis fratribus  
episcopis prouinciæ Viennensium & Narbo-  
nensium primæ & secundæ.*

**A**GIMVS gratias sanctæ vnanimi-  
tati vestræ, quod in  
dominis & fratribus nostris Constantio & Proculo,  
omnium nobis vestram præsentiam contulistis, simul  
præscripta maiorum sequentes, non mediocre addidistis  
pondus sententiis nostris, cum quibus etiam vestræ san-  
ctitatis conuenit professio, domini fratres dilectissimi.  
Itaque vt libenter suscepimus memoratos de vestro no-  
stroque consortio sanctos viros, ita etiam vberi gratia-  
rum actione dimittimus. Quam necessarius autem con-  
uentus hic fuerit, rebus ipsis patefcet, quando aduersarii  
& inimici Dei, Arianæ sectæ hæresis defensores, Palladius  
ac Secundianus, duo tantum qui ausi sunt ad Concilium

conuenire, debitam præfentes excepere sententiam, super impietate conuicti. Valete. Incolumes vos & florentissimos Deus noster tueatur omnipotens, domini fratres dilectissimi. Amen.

EPISTOLA EIVSDEM CONCILII  
AD GRATIANVM ET VALENTINIANVM  
& Theodosium imperatores.

*Imperatoribus clementissimis, & Christianis beatissimisque principibus, Gratiano, & Valentiano & Theodosio  
sanctum Concilium, quod conuenit Aquileiæ.*

**B**ENEDICTVS Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui vobis Romanum imperium dedit, & benedictus Dominus noster Iesus Christus vnigenitus Dei filius, qui regnum vestrum sua pietate custodit, apud quem gratias agimus vobis, clementissimi principes, quod & fidei vestræ studium probauistis, qui ad remouendas altercationes congregare studuistis sacerdotale Concilium, & episcopis dignatione vestra honorificentiam referuastis, vt nemo deesset volens, nemo cogeretur inuitus. Iraque iuxta mansuetudinis vestræ statuta conuenimus sine inuidia multitudinis, & cum affectu disceptationis, nec vlli de hæreticis episcopi sunt reperti, nisi Palladius ac Secundianus, homines vetustæ perfidiæ, propter quos congregari Concilium postulabant, de extrema parte orbis Romani. Ecce nullus senectutis annis grauatus, cuius vel sola esset reuerenda canicies, de vltimo sinu maris Oceani venire compulsus est, & Concilio nihil defuit. Nullus debile corpus trahens, ieiuniorum stipendiis oneratum, itineris est coactus iniuria, fortitudinis amissæ damna deflere. Nullus postremo pauperiem, in sacerdotibus gloriosam, subsidio veniendi destitutus ingemuit. Vnde completum in te est, clementissime principum Gratiane, quod scriptura diuina laudauit: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Quam graue autem, si propter duos in fide cariosos, toto in orbe essent ecclesiæ sacerdotibus destituta? Qui etiam si venire propter prolixitatem itineris nequiuerunt, tamen omnes prope ex omnibus prouinciis occidentalibus, missis adfuerunt legatis, & alterca-

tionibus evidentibus id se tenere, quod nos asserimus, & in tractatu Nicæni congruere Concilii designarunt, \* subiecta declarant. \* Vbi ergo nunc pro vestro imperio concinnunt vota populorum, nec tamen arbitrio vestro assertores fidei defuerunt. Nam licet euidentia essent præcepta maiorum, a quibus impium est & sacrilegum deuiare, tamen disceptandi attulimus facultatem. Ac primum principium ipsum obortæ discussimus quæstionis, atque Arii epistolam putauimus esse recitandam, qui auctor Arianae hæresis inuenitur. Vnde & nomen hæresis accepit, euidelicet gratia, vt quoniam Arianos se negare consueuerant, Arii blasphemiam aut incusando damnarent, aut astruendo defenderent, aut certe non recusarent nomen eius, cuius impietatem perfidiamque sequerentur. Sed quia auctorem suum nec damnare poterant, nec probare, cum ipsi ad disceptandum ante triduum prouocassent, locoque & tempore constituto, non expectata conuentione prodissent: subito qui dixerant se, quia Christiani essent, facile probaturos, quod nos libenter accepimus, & optauimus vt probarent, refugere congressum illico, & disceptationem declinare cœperunt. Multus tamen nobis cum his sermo fuit: propositæ diuinæ in medio scripturæ: disceptandi, de primo ortu diei in horam septimam, copia data, delata patientia. Atque vtinam pauca dixissent, vel certe quæ audiuius, possemus abolere. Nam cum sacrilegis vocibus (cum Arius solum Patrem sempiternum, solum bonum, solum verum Deum, solum immortalitatem habentem, solum sapientem, solum potentem dicendo, expertem eorum filium, impia commotione voluisset intelligi) isti Arium potius sequi, quam sempiternum Deum Dei filium, & verum Deum, & bonum Deum, & sapientem, & potentem, & immortalitatem habentem, voluerunt fateri, multas horas frustra consumpsimus. Crescebat illorum impietas, nec corrigi villo poterat modo. Denique cum viderent se Arii epistolæ sacrilegiis perurgeri, quam ideo subdidimus, vt etiam vestra clementia perhorresceret; resilientes de media epistola, electionem petierunt, vt eorum propositis responderemus: quamquam non esset ordinis neque rationis, vt proposita interromperemus; responsumque esse

ANNO  
 CHRISTI  
 381.

esset a nobis, vt damnarent Arii impietates, & de quibus  
 vellent, ordine locoque seruato, eorum intentionibus  
 responderemus; tamen acquieuimus præpostera voluntati.  
 Ibi tamen euangelii scripta falsantes, proposuerunt  
 nobis, dixisse Dominum: *Qui me misit, maior me est: cum*  
 aliter scriptum doceat series scripturarum. Redarguti de  
 falsitate sunt, vt faterentur, nec tamen ratione correcti.  
 Nam cum diceremus, secundum carnis susceptionem mi-  
 norem Patre suo Filium dici, secundum diuinitatem au-  
 tem pro testimoniis scripturarum parem & æqualem pro-  
 bari, nec posse ibi esse discretionis gradus alicuius, aut  
 magnitudinis, vbi esset vnitas potestatis: non solum illi  
 noluerunt emendare errorem, sed etiam vefaniam augere  
 cœperunt, vt & subiectum secundum diuinitatem dice-  
 rent, quasi vlla Dei secundum diuinitatem possit esse  
 subiectio. Mortem denique non ad sacramentum nostræ  
 salutis, sed ad infirmitatem quamdam diuinitatis referunt.  
 Horremus, clementissimi principes, tam dira sacrilegia,  
 prauosque doctores; & ne vltius populos deciperent,  
 quos tenebant, sacerdotio putauimus abdicandos. Ne-  
 que enim dignum est, vt sacerdotium eius sibi vendicent,  
 quem negauerunt. Vestram fidem, vestram gloriam de-  
 precamur, vt reuerentiam imperii vestri deferatis aucto-  
 ri, censatisque impietatis assertores & adulteros verita-  
 tis, datis apicibus clementiæ vestræ ad iudicia competen-  
 tia, ab ecclesiæ arcibus esse liminibus, vt in damnato-  
 rum locum per nostræ paruitatis legatos, sancti subrogen-  
 tur sacerdotes. Attalum quoque presbyterum de præua-  
 ricatione confessum, & palam sacrilegiis inhærentem, par-  
 sententia comprehendat. Nam quid de magistro eius Va-  
 lente dicemus? qui cum esset proximus, declinauit sacer-  
 dotale Concilium, ne euersæ patriæ, perditorumque ci-  
 uium causas præstare sacerdotibus cogeretur, qui etiam  
 \* torquem (vt asseritur) & \* brachialis impietate Gothi-  
 ca profanatus, more indutus gentilium, ausus sit in pro-  
 spectum exercitus prodire Romani. Quod sine dubio  
 non solum in sacerdote sacrilegium, sed etiam in quo-  
 cumque Christiano abhorret more Romano; nisi forte  
 sic solent idololatræ sacerdotes prodire Gothorum. Mo-  
 ueat pietatem vestram sacerdotale nomen, quod ille sa-

Ioan. 14.  
 Heretici  
 scripturas  
 deprauant.

Ariani epi-  
 scopi inter-  
 dum tor-  
 quati inec-  
 dere sole-  
 bant.

\* for. tor-  
 quatus  
 \* for. brac-  
 catus

crilegus infamat, qui etiam suorum vocibus, qui tamen  
supereffe possunt, nefandi sceleris arguitur. Certe do-  
mum repetat suam, non contaminet florentissimas Italiae  
ciuitates, qui nunc illicitis ordinationibus consimiles sui  
sociat sibi, & seminarium quarit suae impietatis atque  
perfidiae per quosque \* perditos, *delinqueret*, qui episco-  
pus esse nec coepit. Nam primo Petauione superpositus  
fuerat sancto viro Marco admirabilis memoriae \* sacer-  
dos: & postea qua deformiter deiectus a plebe est, qui Pe-  
tauione esse non potuit, is nunc Mediolani post euer-  
sionem patriae (ne dicamus prodicionem) \* inquietauit.  
Super omnibus igitur pietas vestra consolari dignetur,  
ne obtemperantes vestrae tranquillitatis statutis, frustra  
conuenisse videamur. Non solum enim cauendum est,  
ne nostra, sed etiam vestra decreta infamentur. Petimus  
igitur, vt legatos Concilii sanctos viros aequae clementiae  
vestrae audire dignetur, & cum effectu eorum quae posci-  
mus, maturius redire praecipiat, vt mercedem accipiat  
a Domino Deo Christo, cuius ecclesias ab omni sacrile-  
gorum labe purgastis. Photinianos quoque, quos & su-  
periori lege censuistis, nullos facere debere conuentus,  
& eam quae de Concilio sacerdotum data est congregan-  
do, remouistis, petimus, vt quoniam in Sirmiensis oppido  
adhuc conuentus tentare cognouimus, clementiae vestrae,  
interdicta etiam nunc coitione, reuerentiam primum ec-  
clesiae catholicae, deinde etiam legibus vestris deferre iu-  
beatis, vt & vos, Deo praestante, triumphetis, qui paci  
ecclesiarum quietique consulitis.

## NOTÆ.

Aquileia  
qualis &  
vnde dicta.

\* *Aquileiense.*] Aquileia vrbs Carnorum metropolis, ab aquis le-  
gendis sic dicta, habet iuxta praeterfluentem Timauum. A Plinio in  
decima Italiae regione ponitur, fuitque olim colonia Romanorum  
potens admodum; sed ab Hunnis Attilae ductu euerfa & diruta est,  
ita vt vix vlla extant vrbs indicia: nec quidquam insigne habet,  
praeter verustum & ruinosum templum, cuius canonici ob caeli in-  
temperiem & adiacentes paludes vix trimestri spatio, suo illic offi-  
cio fungi possunt. Vide Plin. lib. 3. cap. 18. Strabonem lib. 5.

Causa Con-  
cili.

b *Concilium.*] Cum Ariani patrocinio Iustinae Augustae Valentinia-  
ni senioris imperatoris coniugis freti, Ambrosio reluctante, frustra  
Arianum quemdam in sedem Sirmiensem intrudere conati fuissent,  
Gratianum imperatorem anno Christi 380. Sirmium venientem,

Palladius &  
Secundia-  
nus ad haec.

ANNO CHRISTI 381.

duo Arianae hæreseos sectatores, Palladius & Secundianus episcopi apud eum conquerentes, se iniuste de Ariana hærese infamari, cōstanter interpellarunt, vt ad sui purgationē vniuersale Concilium indici curaret. Quod cum importunis sollicitationibus extorsissent, sanctus Ambrosius continuo intercessit, probrosum & indignum esse asserens, vt propter duos curiosos hæreticos, totius catholici orbis episcopi, cum ecclesiarum suarum detrimento ac periculo conuocentur. Acquiescens itaque imperator monitis & consiliis Ambrosii, Concilium Aquileiæ mense Septembri anni sequentis indixit; ad quod finitimi tantum episcopi conuenirent, cuique Gallos & Africanos per suos legatos interesse sufficeret. Baron. anno 380. num. 19. Statuto igitur tempore aduentante, Gratianus licet inuitus, de cogenda Synodo Aquileiæ, Syagrio & Eucherio consulibus, anno nimirum Christi 381. ad comprouinciales Italiae episcopos literas dedit; cum reliquis autem externarum prouinciarum episcopis ea vsus est modestia, vt neminem cogeret, sed cuiusque arbitrio relinqueret aduentum: præcepit autem vt venientes publicis expensis deducerentur. Orientalibus quoque a præfectis Italiae literis significatum est, vt si vellent, conueniendi liberam potestatem haberent: sed cum illi hoc anno Constantinopoli conuenissent, id ad prædictas hæreseos refutandas satis esse visum fuit; cum non nisi in œcumenicis Conciliis vna simul orientales & occidentales conuenire, ecclesiasticae consuetudinis esset. Baron. anno 381. num. 81.

refim obtendendum Concilium indici peunt.

<sup>c</sup> *Tempore Damasi pape.* ] anno nimirum pontificatus illius decimo quinto, qui est Christi 381. Gratiani imperatoris 15. Valentini sextus, & Theodosii tertius. Supra in principio actorum dicitur, *Syagrio & Eucherio viris clarissimis consulibus, nonis Septembris*, initium huius Concilii factum, vnaque sessione a prima hora vsque ad septimam durante, absolutum esse. Cum ergo cum horum consularu prædicta tempora coincidant, non potest non esse verum, quod de tempore huius Concilii supra dixi.

Tempus Concilii.

<sup>d</sup> *At riginta duobus episcopis.* ] Omnes enumerantur infra in principio actorum: omnes, quotquot interfuerunt, viri sancti & eruditi, famaue celebres, anniuersaria commemoratione votis fidelium reddiui, sempiterna memoria in ecclesia vigent; adeo vt vix alia Synodus exigua huic similis inueniatur.

Numerus episcoporum.

<sup>e</sup> *Valerianus.* ] Hic Aquileiensem ecclesiam, a Fortunatiano prædecessore suo labefactatam, ab omni macula ac labe citissime purgavit, eamque noua propagine eruditorum ac optimorum clericorum toti orbi conspicuam reddidit: ita vt Hieronymus in orientem profecturus, ad fruendum eorum consortio, aliquanto tempore ibi confederit, meritoque de iis in chronico dixerit: *Aquileienses clerici quasi chorus beatorum habentur, per quos omne Ariani quondam dogmatis virus exclusum est.* Sed quod illi, qui ibi erant clerici, essent etiam simul monachi, ex iisdem tres potissimum in chronico laudauit hoc præconio: *Florentius, Bonosus & Rufinus insignes monachi habentur, ex quibus Florentius tam misericors in egenos fuit, vt vul-*

Valerianus templa labefactata restaurat.

Florētii misericordia. Bonosus &amp; Rufinus.

go pater pauperum nominatus esset. Plura de Valeriano vide apud Baron. in notis martyrol. die 26. Nouembr. quo tempore eiusdem annuversaria memoria in ecclesia recolitur.

<sup>f</sup> *Ambrosius.*] Qui, quando & quomodo factus fuerit episcopus, quidve præclare gesserit, ex iis quæ supra dicta sunt, & infra dicentur, constat.

Eusebius. <sup>s</sup> *Eusebius.*] Hic sanctitate clarus, eulogio sancti Ambrosii lib. 1. de virg. commendatus, post obitum inter sanctos relatus, sacris diptychis adscriptus continetur.

Limenius. <sup>h</sup> *Limenius.*] Hic post longa dissidia, admonente Ambrosio epistola 82. ad Vercell. scripta, creatus est successor Eusebii Vercellensis, de quo supra in Liberio.

Armenius. <sup>i</sup> *Armenius.*] Rectius Aneminius, qui Iustina imperatrice, & Arianis aduersantibus, factus est Sirmiensis episcopus anno Christi 380. Iustina cum accepisset Sirmiensem ecclesiam, quæ est in Illyrico, pastore destitutam esse, illuc properauit, quo Arianum illi episcopum præfici procuraret. Ambrosius vt catholicum catholicæ ecclesiæ suæ dioceseos præficeret, illuc etiam properauit. Quam autem tum illi contigerint, Paulinus in vita sancti Ambrosii ita describit: *Cum Ambrosius Sirmium ad creandum episcopum Aneminium perrexisset, ibique Iustina tum temporis regina potentia, & multitudine coadunata, de ecclesia pelleretur, vt non ab ipso, sed ab hæreticis Arianis episcopis in eadem ecclesia ordinaretur, essetque constitutus in tribunali, nihil curans eorum quæ a muliere excitabantur: vna de virginibus Arianorum impudentior ceteris tribunal conscendens, apprehenso vestimento sacerdotis, cum illum attrahere vellet ad partem mulierum, vt ab ipsis casus de ecclesia pelleretur: audiuit (vt ipse solitus erat referre) Etsi ego indignus tanto sacerdotio sum, tamen te non conuenit, vel professionem tuam, in qualemcumque sacerdotem manus iniicere: unde debes vereri Dei iudicium, ne tibi aliquid eueniat. Quod dictum extus confirmauit: nam alio die mortuam ad sepulcrum vsque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Sed hoc factum non leuem aduersariis incusit metum, pacemque magnam ecclesiæ catholice in ordinando episcopo tribuit.*

Sabinus. <sup>k</sup> *Sabinus.*] Vir singulari doctrina & miraculis celeberrimus. Tante doctrinæ erat, vt magnus noster Ambrosius sua scripta ei dignoscenda & emendanda crediderit. Testis est 40. epistola Ambrosii ad eum hac de re scripta. Quam insignis miraculorum operatione extiterit, sanctus Gregorius, qui lib. 3. dialog. cap. 10. ea describit, amplam sane fidem facit. Vide Baron. in notis martyrol. die 11. Decembris, qui eidem in ecclesia sacer est.

Philaster. <sup>l</sup> *Philaster.*] Scriptorum memoria clarus, & certaminibus aduersus Arianos habitis insignis. Hic est ille, quem post Hilarium ab imperatore Valentiniano Mediolanensi vrbe expulsus, catholicum populum fidelem in officio continuisse, fidem contra Auxentium defendisse, atque ideo verbera Arianorum expertum fuisse, supra diximus. Hunc apud sanctum Ambrosium Mediolani se nouisse

ANNO  
 CHRISTI  
 481.

gloriatur August. de hæresi, ad Quod vult deum. Inter claros scriptores & viros sanctos annumeratus habetur die 18. Iulii in martyrologio.

<sup>m</sup> *Constantius.* ] Hic cum Proculo Massiliensi episcopo ex prouincia Narbonensi legatus adfuit, vir huius sæculi insignis. Proculus a S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum Narbonensem mirifice commendatur his verbis: *Habes istic sanctum & doctissimum pontificem Proculum, qui viua & presenti voce nostras schedulas superet, quotidianisque tractatibus iter tuum dirigat.* Eiusdem etiam est mentio in Concilio Taurinensi. Iustus qui infra Gallorum legatus nominatur, fuit episcopus Lugdunensis, sanctitate clarus, qui iugi memoria in martyrologio perseuerat, die 2. Septemb. Res ab eo gestæ leguntur apud Surium præd. die, & Adonem in chron.

*Constantius.  
 Proculus.*

<sup>n</sup> *Heliodorus.* ] Græcarum literarum facultate plurimum imbutus. Hieronymi epistolis quibusdam valde commendatus est. Accessit ad ipsius coronam Nepotiani nepotis egregia morum institutio. Hic in bona senectute diem claudens extremum, adhuc anniuersaria commemoratione in ecclesia viuuit: sicut & collegæ eiusdem Euentius & Bassianus Laudensis inter sanctos relati. De quibus vide martyrolog. 3. Iul. 8. Februar. & 19. Ianuarii.

*Heliodorus.*

<sup>o</sup> *Gesta Concilii.* ] Acta Concilii mutila extant. Summa eorumdem ex synodal. literis cognosci potest. Quod initio actorum ait S. Ambros. *Diu citra acta tractauimus*, intelligendum est de illo congressu, quem habuit priuatim cum utroque ante synodalem sessionem, eo fine, vt errantes ad meliorem frugem reduceret. Verum spe frustratus, initium synodalis sessionis fieri iussit ea forma quæ hic describitur.

*Acta Synodi vnde petenda.*



**CONCILIUM**

**CÆSARAVGVSTANVM**

**DVODECIM EPISCOPORVM,**

**SVB DAMASO,**

**contra Priscillianistas celebratum, æra 418.**

**TITVLI CANONVM.**

- |   |  |
|---|--|
| I. <i>Femina fideles a virorum alienorum cætibz separentur.</i>                                       | IV. <i>Vt tribus hebdomadis, quæ sunt ante Epiphaniam, ab ecclesia nemo recedat.</i> |
| II. <i>Vt diebus Dominicis nullus ieiunet, nec diebus quadragesimæ ab ecclesia se absentet.</i>       | V. <i>Vt qui a suis episcopis * priuantur, ab alijs non recipiantur.</i>             |
| III. <i>Vt qui eucharistiam in ecclesia * accipiunt, &amp; ibi eam non * sumunt, * anathema sint.</i> | VI. <i>Vt clericus, qui propter * licentiam monachus vult esse, excommunicetur.</i>  |

*\* communione priuantur.*

*\* luxum*

*\* accipit,  
 \* consumit  
 \* anathematizetur*

Fff iij